

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Historiae Ecclesiasticae Pars ...**

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||  
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||  
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad  
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni  
magni ad trigesimum ...

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

Descriptio vexilli instar crucem fabricati, quod nunc Romani labarum  
appellant. Cap. XXV.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29861**

EVSEBII DE VITA

sum diu multumq; de eo cogitantem oppressit nox.  
Ibi ei dormienti Christum Dei cum signo in celo mon-  
strato visum esse, præcipisseque, ut exemplari ad imita-  
tionem illius signi, quod in celo apparuerat fabricato,  
eo tanquam præsidio in præliis cum hostibus commit-  
tendis yteretur.

*Crucis effigiei fabricatio.*

CAP. XXIII.

**I**lle, simulatque dies illuxit, surgens, primum arcanum  
illud visum amicis exponit: deinde artificibus, qui au-  
rum & lapides præciosos affabré sculpere norant, ac-  
ceritis, medio inter illos loco assidet, verbis signi de-  
scribit effigiem, eam auro & lapidibus præciosis imita-  
tione adumbrare mandat. Quam quidem effigiem con-  
tigit, ut nos oculis olim contemplaremur: Ipse enim im-  
perator, Deo illud largiente, eam nobis ostendere dig-  
natus est.

*Descriptio vexilli instar crucem fabricati, quod  
nunc Romani labarum appellant.*

CAP. XXV.

**E**RAT autem tali figura fabricata. Hastile oblongum  
erectuque auro vndique obductum fuit, quod cor-  
nu habuit transuersum ad formam crucis constru-  
ctum. Supra in fastigio: ipsius operis corona affixa, la-  
pidibus præciosis, & auro politè circumtexta. In ea fa-  
lutaris appellationis feruatoris nota inscripta, duobus  
solum expressa elementis: id est duabus primis literis  
nominis Christi (erat enim litera Σ in ipso medio literæ  
Χ curiose & subtiliter inserta) quæ totum Christi no-  
men perspicue significauit. Quas quidem literas dein-  
cepit semper imperator in galea gestare consuevit.  
Ad cornu illius particulæ, quæ ex transuerso erat per  
hastile traiecta, velamen quoddam pertenue appensum  
adhæsit, regalis videlicet & magnifica textura, mirabili  
varietate lapidum præciosorum artificiose coniuncto-  
rum, lucisque suæ claritate pulchre resplendescientium  
depicta, & multo auro inextexta, quæ dici non potest,  
quæ

quantam spectatoribus ob suam pulchritudinem excitatit admirationem: Istud igitur velamē ad cornu affixum, longitudinis latitudinisq; crucis mensuram penitus exequauit. Oblongum vero & erectum hostile in sublimi appensum, cuius pars inferior versus basim longius duc̄ta fuit, sub ipsum crucis insigne ad texturæ discurrentis fimbrias, auream pii imperatoris pariter ac liberorū suorum effigiem, ad pectus vsque concinnè descriptam cōtinuit. Itto igitur salutari signo imperator, tanquam hostilis cuiusque & infestæ violētiæ propugnaculo, semper vsus est. Cuius expressæ similitudines mandauit, ut vniuersum exercitum perpetuo antecederent.

*Quomodo Constantinus Christianorum mysteriis instractus,  
sacris literis operam dederit.*

CAP. XXVI.

**V**erum ista paulò post acciderunt. Tempore autem suprà commemorato, Constantinus admiranda illa visione obstupefactus, nullum alium deum, quām qui ipsi apparuisset, colendum esse statuēs, sacerdotes & professores religionis & verbo illius initiatos accessit. Quis esset deus ille, sciscitatur, quid etiam sibi vellet visio illa, quæ de signo fuisset ipsi patefacta. Hi hunc deum respondent Dei vnius ac solius vñigenitum filium esse, signum autem quod apparuerat, immortalitatis notam esse, trophæumq; victoriæ illius de morte reportata, quā olim, cum in terra versabatur, fuisset affecutus. Causas etiam docent eius aduentus accuratamq; illius inter homines œconomia rationem ei suggerunt. His rationibus quanquam probè erudiebatur, ille quidem, visione tamen ipsius oculis subiectæ adhuc tenebatur admiratiōne. Atque tandem ubi cœlestē visum cum sacerdotum interpretatione contulerat, animo confirmatus fuit: pro certo persuasus earum rerum cognitionem sibi diuinitus oblatam esse, ac propterea in diuinam sacrarum literarum lectionem iam omni cura & cogitatione incumbere secum decreuit. Itaque primum Dei sacerdotibus sibi, tanquam assessoribus ascitis, statuiz

Gg 4 deum,